

affectat. Quorum referimus omnia calida spirituosa sulphurea, sanguinem discursivo motu actuantia ac animi vehementiores commotiones, quae in sanguineis fluxibus concitandis insignem habent potentiam. Præcipue autem tentantur hoc fluxu, qui longas habuerunt viscerum obstrukiones, splenis tumores, febres diuturnas passi sunt, qui que hac ratione sub febrilibus paroxysmis discrasiam acidant viscidam sanguinis viscerumque atoniaem sibi contraxerunt. Itidem qui hepate laborant & affecti sunt, & uno verbo omnes hypochondriaci qui que sanguinem crassum & copiosum generant & corpus minus perspirabile & pervium habent. Talismodi obstructionibus partium, quae sanguinis depurationi & subtilisationi serviunt, multæ accumulantur fordes pituitosæ & viscidæ, quæ corpus gravant & premunt, sanguinis liberiorem ventilationem & motionem impediunt, & sic causam effectricem effrenis hæmorrhogiæ quandoque subministrant. Ultimo disponunt quoque ad hæmorrhoides alvi scybala diutius retenta, quæ, dum distendunt intestina, sanguinis fluxum & refluxum quodammodo morantur & sub exitu duritie sua vasa ani lædunt, atteruntque. Eandem ob causam Hippocrat. & Solenander scit. 4. Cons. 20. equitationem &vectionem ad hunc fluxum disponere scribunt. Vocis concitationem, dum violentia deorsum movetur sanguis, incommoda etiam hæc promovere docent Ephem: D. 2. A. 3. obs. 226.

VII.

Præfagiunt autem dispositionem effusionis sanguineæ per hæmorrhoides dolor & ardor lumborum & maxime sinistri hypochondrii, pondusque in ipso, ruitus